



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

§. V. Consectarium quintum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

adstringimur, cum tamen ab iis maiores nostri immunes essent? Quād multa à Concilio Tridentino reformata atque restricta? Vno verbo, erunt fortè, qui salutis viam difficiliorem his temporibus esse arbitrentur: atque adeò dicere ausim, disciplinam morum à Jesuitis non modò non relaxatam, sed non mediocriter restrictam fuisse. Quād multa enim Navarrus, Cajetanus, Sylvester, Fumus licita putarunt, quæ à Jesuitis licita esse negantur? Sed video fine, quem Jansenistæ sibi proponunt. Suave Christi jugum & onus leve invidēt hominum generi, cui, more Pharisaico, onera importabilia imponunt, quæ ipsi digito suo ne quidem movere velint.

§. V.

Consecrarium quintum.

Hic etiam convitiari & nugari pergis; vis enim, ex illo probabilitatis fonte tam *horrenda*, tam *impia* prodiisse, quorum pars tum in Montaltii Litteris, tum in Parochorum Scriptis descripta fuit, pars verò pudore compressa.*

O misericordes & pudibundos homines! quidquid convitii, veneni, calumniæ, affingi, excogitari, spargi potuit, liberali & impudenti manu sparserunt; & parci ac pudentissimi videri volunt. Erras deinde cum dicis, ex privatis erroribus probabiles opiniones ortum duxisse; quasi verò erroris tenebræ pariant lumen, probabilis saltem veritatis. In hoc autem luculentè hallucinaris, quod idem putas, esse reverà, & videri probabile. Ut enim aliqua vera videntur & certa, quæ nec vera, nec certa sunt, ita aliqua videntur probabilia, quæ probabilia non sunt. Quod Deistarum hæresim Jesuitis

* Pag. 85.

tis exprobras, risum potius, quam stomachum movet.
 Quod dicas errorem cuique suum probabilem esse,
 erroneum est; dicere debueras *videri*. videri autem
 probabilem non excusat; quia scilicet error est; nisi
 forte invincibilis & inculpatus sit; illud autem excu-
 sat, quod revera probabile est; tunc enim pruden-
 ter agitur, quando circa id actio versatur, quod bo-
 num esse, vel malum non esse, vere probabilis ratio
 de monstrat. Probabilis demum ratio illa est, quae
 sufficienter intellectum non preoccupatum, nec
 vitiatum ad prudentem assensum movet; dummodo
 nulla ratio opposita contrarium evincat.

Hinc si forte accidat, opinionem vere probabi-
 lem falsam esse, ac proinde falli eum, qui illa du-
 citur; non culpanda, sed inculpatae ignorantiae tri-
 buendum est; cum probabilia aliter sciri vel cognosci
 non possint; nec Deus homines obliget ad impossibi-
 le; Calvinistis, immo & Jansenistis frustra licet
 obstrepentibus. Huc spectas Willelme: damnata Jan-
 senii placita ob oculos semper habere videris. Nec
 est, quod Jesuitis religionum adiaphoriam attribuas;
 sectarii haec tenus fenserunt, utrum Jesuitae illorum
 dogmata suo calculo donent.

1019 6197
 Quid porro aliud Thomas Sanchez à te adductus
 dicit? nisi, hereticum inculpata ignorantia laboran-
 tem non teneri sectam mutare: alioquin, invincibilis
 non esset. Idem Erasmus Billius, idem omnes Docto-
 res vere Catholicci docent: puerum scilicet baptiza-
 tum, heresim ab iis, à quibus in rebus fidei institui-
 tur, sibi propositam credere sine peccato; modò
 scilicet, quod revera omnes supponunt, invincibili
 laboret ignorantia. Sic in iis regionibus, quibus
 nullum fidei Catholicæ lumen affulget, multos igno-
 rantiæ invincibili teneri constat, ac proinde esse ma-
 terialiter

terialiter dumtaxat, ut vocant, non formaliter hæreticos. Longior ille dialogi tractus, quem describis, * instituti, scilicet, inter Valerianum Magnum & Basanomenum, ab auctore suo omitti potuit; quanquam illius Lutherani placita non approbat, immò saltem tacite improbat. Centies demùm tuum illud recantas: probabile falsum peccato non eximit. Sed, si verè probabile sit, haud dubiè peccato eximit; cum ignorantia illa inculpata censeatur, quæ non modò probabile, verùm etiam errorem atque hæresim à peccato liberat.

* Pag. 86. 87.

§. V I.

Consectarium sextum.

CRIMINATIONS & CALUMNIAS HIC ULTRA MODUM amplificas. Vis enim à Jesuitis doceri, eam quæ cuique probatur, opinionem, probabilem esse, atque adeò hæresim hæreticis esse probabilem.*

Luculenter hallucinaris, Willeme; qui existimas, ideo aliquid reverà esse probabile, quia alicui probabile videtur. Fälleris mi homo, falleris: nullus Jesuita id tibi concedat. Nempe aliud est, ut jam dixi, esse probabile, aliud, videri probabile: nec probabile dicitur per merum respectum ad intellectum unius, sed multorum, ut constat ex iis, quæ supra digessi: alioquin idem esset probabile & improbabile, quod vel dictu ridiculum est. Scio, non nullis videri improbabile, quod aliis probabile videtur; sed alterutrum falli, necesse est; cum idem non sit, esse & videri. Nempe, quod est probabile, per respectum ad omnes mortalium intellectus probabile est; licet nonnullis certum, aliis improbabile

* Pag. 88.

Eos. 89 † evideatur.